



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

VIII. De legibus quibusdam Alphonsi & Sancti regum obseruandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

Octauo autem titulo mandamus, vt in Legionē, & in suis terminis, in Gallæcia, & in Asturiis, & in Portugale, tale sit iudicium semper, quale est constitutum in decretis Adefonsi regis pro homicidio, pro raso, pro saione, aut pro omnibus calumniis suis. Tale vero iudicium sit in Castella, quale fuit in diebus aui nostri Sancii ducis.

IX.

Nono quoque titulo præcipimus, vt triennium non includat ecclesiasticas veritates, sed vnaquæque ecclesia (sicut Canones præcipiunt, & sicut lex Gothica mandat) omni tempore suas veritates recuperet & possideat.

X.

Decimo vero titulo decreuimus, vt ille qui laborauit vineas aut terras in contentione positas, colligat fruges, & postea habeant iudicium super radicem, & si victus fuerit laborator, reddat fruges domino hereditatis.

XI.

Vndecimo autem titulo mandamus vt Christiani per omnes sextas ferias ieiunent, & hora congrua cibo reficiantur, & faciant labores suos.

XII.

Duodecimo quoque titulo præcipimus, vt si quilibet homo pro qualicumque culpa ad ecclesiam confugerit, non sit ausus aliquis eum inde